D. ... Martyr

Krobski Francisci Jos. Vindex Christianae libertatis D. Catharina Virgo et Martyr.



✠

JN NOMINE DOMINI, AMEN.

VINDEX
CHRISTIANÆ LIBERTATIS,
D. CATHARINA
VIRGO & MARTYR,

Recurrente Annuâ suæ Festivitatis die,

in Ecclesia Patrum

EREMITARUM

S. AUGUSTINI,

Casimiriæ ad Cracoviam,

EIUSDEM NOMINI DICATA;

A

M. FRANCISCO JOSEPHO KROBSKI,

In Alma Universitate Studij Generalis Cracoviensis, Philosophiæ Doctore, & Professore,

Cultu Panegyrico

CELEBRATA.

Anno Assertoris CHRISTI, 1698. 25. Novembris.

Permissu Magnifici Domini RECTORIS.

CRACOVIÆ Typis UNIVERSITATIS.

IN GENTILITIVM INSIGNE, Inclytæ Familiæ BIENIECCIANÆ.



Scindit cæruleum NAVIS BIENIECCIA pontum,
Remis & velis cur tamen illa caret?
Remigium præstat pietas, cor carbasa pandit
Magnanimum, Zephyros providet ipse DEUS.
Prospera sic vincit Neptunia regna CARINA
Auspice & obstantes Numine scindit aquas.

JOSEPHUS SOKOŁOWSKI,
Poëseos Auditor.

ILLVSTRI, MAGNIFICO, ac GENEROSO DOMINO,

D. FRANCISCO FLORIANO

IN BIENIADZICE

BIENIECKI,

PINCERNÆ ŻYDACZOVIENSI, CAMERARIO FINIUM REGUNDORUM TERRÆ RADOMIENSIS, BURGRABIO & JUDICI TRIBUNALIS DOMINII ZAMOSCANI, &c. &c.

Domino Patrono & Mecænati Amplissimo.



On pretiosas Colchidis exuvias, aut divites Arabum Brasilidumque gazas, sed omnium virtutum ac scientiarum nobilissimum Cimeliarchion, Palladem Christianam, contra vesanam Ethnici furoris Gigantomachiam, Orthodoxæ libertatis VINDICEM, DIVINISSIMAM CATHARINAM, triumphali Tuæ ingero NAVI. Illustris, ac Magnifice, Domine & Mecænas amplissime *Quippe ubi hæc Tyrannorum Domitrix invictissima, cum suis, post exactas Victorias, & triumphos laureis, quasi ad stativa divertens magnificentius, honorique suo convenientius reclinatorium inveniret, quàm in Tua Gentilitia CYMBA? quæ non vnius tantùm Cæsaris fortunam, sed Regni huius amplissimi, dirigentibus illam peritissimis Maiorum Tuorum Navarchis, Maiestatem, feliciter vexit, & cum celeusmate triumphali, ad portum felicitatis deduxit. Bene exploratum est Reipublicæ nostræ centoculis Argis, & potissimùm inclytis Sandomiriensis Palatinatûs Proceribus, quomodo sub auspicatissimo Gentilitiorum Siderum, in suo Polo radiantium aspectu, per tot sæculorum trieterides, Argo hæc, invictos Antenatorum Tuorum Iasones, aureo consilij & bellicæ virtutis vellere opulentos, ad invidiam vsq; solis exotici exhibuit. Quorum equidem dulcem Mnemosynen facere, & mihi operæ-pretium esset; nisi perbelle scirem Te ipsum Maiorum Tuorum ectypum esse, & in pectus Tuum congestas Aborigenum BIENIECCIORUM, cum exactissimis virtutum lineamentis imagines, tanquam in Pantheone resplendere. Nempe Tu ipse* Magnifice Domine, *non tantùm generis, sed etiam probitatis avitæ ex asse Heres, Patritios honores, & Panegyres, æternùm celebrandis Tuis Fabijs debitas, meritò Tibi vendicas. Et certè placidum & ingentium capacissimum ingenium Tuum, quod in Archilycæo Iagellonico, Cleantheis excoluisti vigilijs, vrget acriùs animum meum, vt Encyclopadiam scientiarum, & limatioris judicij Colophonem, si non dignis elogijs celebrare; saltim clientali obsequio valeam venerari, imò veriùs admirari. Sed præripit fortior Bellona palmam, quæ Te à Castris Minervæ, heroicis illectum operibus, contra hostes Reipublicæ velut contra Carthaginem Scipionem ordinauit. Vidit potentissimus Mauors Polonus, inter fluctus bellorum, tempestatesque sonoras, inter debacchantium nostrisque fortunis inhiantium Piratarum Classes, Gentilitiam NAVEM Tuam, felicissimis victoriarum Fauonijs sospitatam, ad patrium littus, non sinè spolijs immortalis gloria rediisse.* Unum pro cunctis fama loquatur opus, *eximia Tua in Patriam charitatis & constantiæ, quam inter fatales Orbis nostri ruinas, Marpesiâ caute firmior, impavidus & intrepidus seruâsti. Nempe dum ab Aquilone panderetur omne malum, & Finnicus ille cataclysmus, celsiores etiam montes, hoc est mentes magnorum Ciuium obrueret, & sæculum Pyrrhæ in Polonia renouaret, Tu Gentilitiam CYMBAM meliores seruans in vsus, inter tot pericula, & adversos Æolos, non tantùm securam, sed etiam victricibus palmis Onerariam demonstrâsti. Unde non inuidemus Lucullo deuicto Mitridate laureatas naves, quas velut nuntias victoriarum, Quirinam transmisit in Vrbem, cùm Tua triumphalis CARINA, Castrensibus, Muralibus, Obsidionalibus & Civicis Coronis, ad stuporem vsque omnium ornata, optatæ felicitatis, Te ipsum exhibuerit Pa-*

erit Pa-

erit Patriæ Fecialem. Neque miramur tantam virtutem Principibus placuisse viris, & ad magna quæq; gerenda applicatã, magnetica quadâm vi corda & animos, in sui amorem & peculiarem respectum illexisse. Mens Tua placidissima cælique æmula sereni, niueus omnemque excludens fucum pectoris candor, mascula in agendis summis quibusq; negotijs activitas, & quam vel ipse veneraretur Cato prudentia, non vni Alexandro Te Ephestionem adiunxit. His eximijs dotibus, Serenissimis Regum Maiestatibus commendatus, probatæ documenta virtutis in publicis Commissionibus Orbi Polono exhibuisti. Suspexit hanc mentis Tuæ celsitudinem magnus ille SKARSZEVIUS, qui Te velut manum dextram, lustrandis Regalibus Bonis sibi adiungens, Oeconomiæ Samboriensis Moderatorem substituit. Porro munus hoc summâ dexteritate gestum, quantos Tibi in Republica pollicebatur honores, imò præsentes offerebat, omnium bonorum conscientiam, quibus integritas Tua, magis quàm Aristidis Athenis nota est, appello. Cæterùm cùm inter ingentem Virtutum Tuarum Syllabum, modestia principatum teneat, summum honorem arbitraris, non ambire honores. Equidem rarior Phænice probitas hæc, eò Te compulit, vt vix mediocres quos vltro Tibi perspicax bene meritorum Genius obtulit, & quibus hodie summâ cum laude fungeris, acceptaueris. Hoc priuati boni fastidium, publici verò ingens pretium, appendens olim in statera animi sui, Heroici Sanguinis apex & Corona ZAMOSCANÆ Familiæ vnio, & oculus Reipublicæ, ILLUSTRISSIMVS & EXCELLENTISSIMVS DOMINVS MARTINVS in Zamośćie ZAMOYSKI M. Thesaurarius Regni, vt Ordinem in Ordinatione sua faceret, & amussim exactiorem, Te negotij tanti Consum adsciuit. In Te tanquam Alciden, Atlas ille, gerendorum molem & grande Domûs suæ depositum deponi voluit, vt si ille fatis cedere cogeretur, Tu mentis illius Præstes, curarũ & Tutelæ, non modico ponderi, probatos humeros sufficeres. Et certè Tripode veriùs eam felicitatem, quam hodie Dominium Zamoscense experitur, summus ille virtutum Æstimator ex Te sibi auguratus est; cùm ne hostis quidẽ quidpiã in Te habeat, quod Zoilina rabie proscindere, & atro maleuolentiæ calculo notare queat. Si enim in summo Dominij Zamoscani Tribunali, aurea edicta Te ferentem auscultauerit; integerrimum Areopagitam stupebit. Si adhibitam omnem diligentiam in conservandis augendisq; Bonis Ordinationis, sincero oculo prospexerit, si deniq; suauissimam omnium rerum dispositionem, sedulâ indagine mentis perpenderit, Viros authoritate, Sapientiâ, justitiâ, æquitate, & non vulgari peritiâ Tui similes, vt secuturis nascantur sæculis, alto votorum anhelitu exoptabit. Hoc idem notavit in Te SERENISSIMVS, INVICTISSIMVS, & POTENTISSIMVS rerum nostrarum STATOR, AUGUSTUS SECUNDUS *Poloniarum REX; hodie auspicatissimè nobis imperans, dum vnà cum gratissimo Hospite Magno Moschoviæ DVCE, & Monarcha Colligato, ab Exoticis Regionibus redeunte, Munitionem Zamoscensem, vnicum Roxiacæ gentis decus & præsidium, præsentiâ suâ desideratissimâ invisens & exhilarans, grauiora negotiorum momenta, & arcana, Te mediante expediri voluerit. Hoc probant & deprædicant publici nobilium Conuentus, in quibus efficacissimo consilio, & disertissimâ Suadâ Tullium agis. Quare non succensebis imbecilli ingenio meo, MAGNIFICE DOMINE; quòd Clarissimi Parentis mei exempla secutus, Te summum Literatorum Mecænatem è voto decreverim venerari. Ipsa Divinior Minerva nostra, CATHARINA Virgo, quam à Te impensiùs cultam esse, non sum nescius, aditum mihi ad Te paravit. Cuius patrocinio & efficacissimo interuentu vt longævus, candidos viuas sinè nube dies, & Bono Publico, Nobisq; diutissimè superstes fias, omni incolumitate, gratiarum Diuinarum auxesi, omnium Bonorum & honorum, qui meritis Tuis amplissimis debentur, affluentiâ cumuleris, ex animo voueo. Magno Honori & Nomini.*

JLLUSTRIS, MAGNIFICÆ ac GENEROSÆ
DOMINATIONIS VESTRÆ

Devinctissimus Servus & Cliens.
M. Franciscus Josephus Krobski, Ph. D. & P.

VINDEX
CHRISTIANÆ LIBERTATIS.

CUm multa divinitùs, ad faſtigium gloriæ, ipſis Intelligentijs coæquandum, generi humano conceſſa ſint; tum nihil auguſtius datum eſt, Privilegio libertatis. AA. Inæſtimabile namq; donum eſt ſuum fieri: par Superis dignitas habere poteſtatem vivendi ex animi ſententia. Neque excellentiorem priſca Orbis prudentia; ipſi Divorum Imperatori Iovi, attribuit Maieſtatem; quàm quòd rerum omnium momenta, ſui beneplaciti liberis legibus temperaret. Non poſuit inter tanta miracula, vetuſti ævi genius, Solis Lunæque neceſſarios labores, Siderum inceſſabiles gyros, Orbium Cæleſtium ſtupendas diſpoſitiones, alterno recurſu, novam telluri faciem inducentes anni partium vices, generationum varietates, & hoc Vniverſi pulcherrimum theatrum; inter quanta prodigia cenſuit animum humanum, nullâ neceſſitatis lege adactum, ſuo conſilio deſuper relinqui, & tanquam Semideum, pro arbitratu ſuo, ſeriem negotiorum moderari. Et certè, noverat perbellè divinitatis ectypus, mortalium animus, hanc ſuæ dignitatis celſitudinem, dum eam pari cum vita pretio æſtimaverit. Vidit Orbis huiusmodi libertatis Aſſertores, quibus totus effuſus pro libertate Ganges, vilior algâ fuit. Calcabant triumphali planta, à Pyrrho oblatas Arabum gazas, & quas Perſis miniſtrabat opes, velut irritamenta malorum, generoſo animo contemnebant digni immortalibus faſtis Fabricij, cùm illis in mentis ſtatera appenſa libertas, ingens addiderit pondus. Heroûm genus Camilli, Scipiones, Marij, Fabij, magnitudinem Nominis ſui ſeculis memorandam, pretioſiſſimæ libertatis propagatione extenderũnt. Quid multis? tantus libertatis amor pectoribus humanis ineſt, vt pro ea dulciſſimam vitæ vſuram, Marti & morti, in victimam litare non dubitent. Et hæc quidem divinitatis portio, Ethnicorum ignota ſuperſtitioni (nimirum quæ vmbram duntaxat libertatis venerata eſt) cui magis lege Divinâ convenit? quàm Cætui Orthodoxo, à ſacratiori Berecynthia, Eccleſiâ Catholicâ oriundo? Certè Chriſtianos Heroâs, liberos rerum Dominos, pridem ſuprema inauthoravit Maieſtas, cùm primum Chriſttianæ militiæ baltheum ſumerent. Illorum hoc dulce decus & præſidium eſt, quos æquior

 adama-

adamavit Iupiter. Verùm heu duram fatorum inclementiam! Gens Sancta, Populus electus, Christi Triumphatoris Commilitones, Milites Triarij, à vesanis, infestisq; Christiano nomini Nebulonibus, infestantur. Averngi Tyranni, servilia colla subijcientes jugo latrones, vt suæ consortem servitutis faciant Orthodoxorum libertatem, assiduis tumultibus glomerantur. Nec sine felici alea cessit impius conatus: tot Christianorum copiæ jugula cruentis dextris porrigunt, & Viri viresque desunt, ad sumendas de impietate vindicias. Quare ne impunita maneat malevolorum audacia, neve libertas Fidelium tot iniurijs Tyrannorum lacessita, extremum patiatur detrimentum; Ostendã ego ad publicum Ecclesiæ militantis solamen, Divinissimam CATHARINAM Virginem & Martyrem, fortiorem Penthesyleâ esse CHRISTIANÆ LIBERTATIS VINDICEM, & ad excutiẽdum servitutis jugum, quo multos captivos Avernus mancipat, illius subsidium opportunissimum. Vos tantùm in blando libertatis Polonæ sinu enutritæ animæ, vos Reginæ Alitum, liberè per spatiosam aëris regionem volantis Iovis armigeræ, generosi Pulli, pro libertate Christiana, à Sanctissima Heroide vindicata dicturo; liberam & liberalem, benevolentiæ & attentionis non negate aurem, supplex posco.

Vesana, quam primævum scelus induxit dominandi orexis, pro scripta justissimis Cælestis Areopagi Decretis, ob crimen Perduellionis & attentati ausu sacrilego imperij ambitio, hodie quoq; nefandis comitata sodalibus, sceptra & purpuram, vel in ipsis innocentium cædibus, ac sangvine quæritat. AA. Nihil est jucundius scelere viventibus Tarquinijs; quàm dum Gabiniorum capita, velut papaverum colla vel resecuerint, vel suæ subiecerint potestati. Impletas cruore humano foveas, exundantes sanguine canales, diductosque latè, per Regna, & Vrbes, tabo insonti manantes rivos exclamare, Regium esse spectaculum, augustum & ingens, nulla quod rapiet dies triumphi auctoramentum extitisse, tortores Regnorum, non Imperatores teste Seneca, vsque ad insaniam gloriati sunt. Nihil eis nocentius, quàm innocentia; nullum maius & enormius scelus, quàm intemerata justitia; nihil odiosius, quàm amica Divis pietas: nihil damnabilius, quàm effrenem carnis licentiam, ne laxatis desideriorum habenis, animæ bellum inferat, certis continentiæ legibus circumscribere. Apud huiusmodi monstra coronata, & in Trabeis eminentia nequitiæ ostenta, sceleri nefando nomen est virtus, & fædissimis pulcherrimam animam, intaminatis fulgentem honoribus Reginã, mancipare vitijs,

palma-

palmare negotium est: Et hinc quanta malorum Ilias? quàm gravis tribulationum Æthna, Deo sacratis incubuit animis! Exceptâ internâ, quam quisque in Regno pectoris sui, amplissimam continet, dominatione; ad quam juxta leges à Plasmatore rogatas, ritè & liberè gubernandam, vix totus sufficit vitæ decursus. Acriùs vrget, vehementiùs instat, Imperantium libido, & ambitiosorum infanda audacia, vt animus ille, Cæli filius, terræ hospes, Civis vniversi, apprimè liber, eiuret fidem Deo datam, rumpat obedientiæ Sacramentum, neget gratitudinis homagium, Cælo rebellis, peccato subditus, Averno Tributarius existat. Miscentur severitati blandimenta, & quod gladius nequit, suavis illiciorum cicuta, & dulcorata fraudulentæ persvasionis aconita, (prô nefas) efficiunt. Zeloziores pro libertate Catones, minis adacti, tormentis exterriti, suam Vticam quæsiêrunt. Feruntur edicta, promulgantur decreta, conduntur cruentæ leges, sedent sanguinei pro Tribunalibus Rhadamanti, & Manlianas ferunt sententias; vt Privilegium libertatis, quod Assertor noster Christus, suis victoriosissimis in manibus æternùm exaravit, letheis oblivionis mergatur in vndis, & memoria Christiani nominis obliteretur. Heu *nefastos dies! Forum multitudine refertum, septa concursu omnis frequentiæ plena, & Circus ille, in quo maximam sui partem populus ostentat, plùs habet vitiorum, quàm hominum, plùs ferinæ rabiei, quàm clementiæ.* Inter istos, quos Toga vel Purpura in Curuli sedentes ornat, nec vestigium virtutis est. Diversis stimulati cupiditatibus, omnia perdita Christianis, ob levem voluptatem, prædamque cupiunt. *Ferarum iste Conuentus non hominum est, nisi quod illæ inter se placidæ sunt, morsuque similium abstinent, hi mutuâ laceratione sautiantur.* Verbo, vbique scelerum mancipia servile bellum instaurant. At inter omnes Sardos venales, contemptior servus in purpura MAXIMINVS, novũ in Christiadûm genus Phalaridem exercuit. Non vnus eius crudelissimo Imperio, æneo cruciatus tauro, calorem Entheum Orthodoxæ amisit fidei, vel si illum servavit, certè vitam perdidit. Et quidem jam se triumphâsse ratus erat Tyrannus, & Christianorum colla, suo subiecta calcaneo jactabat; cùm Christiana Penthesylea, Cælestis Herois CATHARINA nullis satis celebranda elogijs Virago, VINDEX CHRISTIANÆ LIBERTATIS, primò Angelicam Suadam in ore, Gratias omnes in vultu complexa, talibus in Tyrannum irruit dictis: Quousque tandem effrenatâ temet jactabis audaciâ? quousque tam dirus tuus homines & Divos elu-

eludet furor? quouſque abutere patientiâ innocentiſsimæ gentis Chriſtianæ, tot iniurijs affectæ? Nihil ne te terrent punitorum Tyrannorū funeſtiſſima exempla? raptorum ad Avernæos lacus execrandi manes & Niobæi eiulatus? Patere tua nefanda conſilia non ſentis? invictam veſaniæ tuæ malignitatem arbitraris? impunita tot ſcelera, commotam novam contra SuperosPhlægram, temeritatis Author & Ductor, non vnâ Æthnâ obruendam non cenſes? Metire vires tuas, Cælone oppugnando pares ſunt? Novus in Iovem, non fictitium, ſed vivum & verum omnium Divorum Authorem & Imperatorem, cuncta Divino nutu, & æternis providentiæ legibus gubernantem, conſurgis Tytius, eumque laceſſis bellua? vt iracunda in ſceleſtiſſimum caput tuum jaciat fulmina? Tuos Polytheos, noxarum, & mendaciorum ſatores, vaſa colligere anguſta, & fruges conſumere natos, falſitatum Propolas, imprudens & impudens auſcultas? Fatuos ignes impijſſimi conſilij ſequeris, obeſiſſimæ naris homo, vt mox in avia & abyſſos æterni exitij detrudendus, ſtultitiæ luas pænam. *O quàm præcipiti merſa profundo mens hæret!* quàm impium negotium deplorando fine terminandum attentas! Chriſtianam libertatem divinis munitam legibus, ſervus vitiorum aggrederis? Nomen Auguſtum, Sanctum & Venerabile CHRISTI ASSERTORIS noſtri, exterminare impie Mezenti contēdis? Verùm age vt lubet; frænos liberis Chriſtianorum animis non inijcies. Catenati, & ſquallidiſſimis incluſi ergaſtulis invicti Heroës, ocyùs in cæleſti Capitolio, triumphales figunt plantas. Intra compedes liberum animum gerunt, nulli furiæ cedentes, ac inſtar Marpeſiæ cautis, ſtant immobiles, & infracti. Obriguit ad tam liberas voces MAXIMINVS; mox maximas minas, & omnes ciet furias, in VINDICEM libertatis CATHARINAM. Verùm quemadmodum quaſſata ſævientis Pelagi, debacchantibus procellis rupes, nihil de ſua firmitate amittit, imò tempeſtuoſi Nerei, immota eludit iras: vt ſuis viribus auctus Vulcanus, Æoli flatibus maiora excitat incendia:

Vt Leo, qui dudum placido manſueuerat vſu;
Si quis cum jaculis, vel nudo cominùs enſe
Præditus, irritet generoſi pectoris iram;
Diſſimulat reprimitque diu. ---

Sic invictus VINDICIS & Aſſerricis noſtræ, animus ſe ipſo maior, furibundis maligni Cæſaris dictis, atque diris, minimâ ſui parte motus, libertatem Chriſtianam, fortiùs propugnat. Imò magis cæleſte ingeniū hâc adverſitatis cote acuitur, *magiſque ſeſe parat accendere virtus,* vt

blaſ-

blaſphemiarum Satyras, veritatis Orthodoxæ oraculis convincat. Porrò, excors Tyrannus, fruſtrà in Viraginem minarum jacula torquens, & luminibus, Gorgoneo angue ſæviùs micantibus, intrepidam VINDICEM minimè terrens, blandis aſſentationum, & pollicitationum armis (qualibus imbellis ſexus devinci ſolet) invictam eius mentem adoritur. *Hem quid agis atavis edita Regibus* HEROIS! Ergone avita decora & auguſtas Maiorum ceras, pro vili Chriſtianorum ſorte commutabis? Vultus tui Maieſtatem, & caput non vna Pallade fætum, gentilitia exambiunt diademata. Patritius Honor, vltro Purpuram & Sceptra porrigit, ſi Iovem Deorum Regem colueris. Te mille cum choris Nympharum, in Regalibus thalamis, avidâ præſtolatione Cytherea expectat. Pone ſpem humilem Chriſtianorum, & incertam proculca felicitatem: Præſentia gaudia, vltro ſeſe offerentia, & arridentem fortunam amplectere. Quod ſi Tibi ex ſolio, hæc aurea edicta minimè videntur ſolida, Sophorum oracula, quos amicos Deorum eſſe noveris, ſi prudens es (qualem te eſſe coram jactas) auſculta. Hæc Te inanibus eluſam præſtigijs, meritò enuntiant, quia vna imbellis & imbecillis, contra tot Numinum Myriades bella movere contendis. Quis furor Te nimiùm audacem fecit? vt nec ſummum Imperium Iovis, nec auſteritatem Saturni, nec fortitudinem Martis, nec potentiam Iunonis, nec Caduceum Mercurij, nec ſapientiam Apollinis, nec vires Herculis, nec aliorum Deorum (quorum triginta millia noſtra recenſet religio) metuas poteſtatem. Tu ne ſola horum aſpernaberis dominatum? quibus Imperatores, Reges, populique potentes, colla ſubijciunt. Meliora ſi ſapis, animo prehende, ſi Imperialibus Nuptijs, quæ Te mox manent, potiri, vitamq; longâ felicitate beatam, ducere anhelas. Sed ornatam hanc Scyllam & exitiales cautes, bene cavere edocta CATHARINA, tũ demùm ſe VINDICEM Chriſtianæ libertatis monſtravit; cùm oſtentatos mendaciorum fucos, & ipsâ vanitate vaniora illicia, quæ Cæleſtium inanes animas mancipant, liberrimâ voce falſitatis convicerit. Hic jam veſanior factus MAXIMINVS, quibus armis VINDICEM libertatis Chriſtianæ aggreditur CATHARINAM? diligentiùs attendamus. Cùm oſtentatæ voluptatum blanditiæ, Regalis Hymenæi tædæ, & aurum per medios ſuetum ire ſatellites, ac potentiſſimos quoſque devincere, minimè à propoſito invictiſſimam Amazonem Chriſtianam deterruiſſent; cruciatuum in eam torquet fulmina. Ipſe alligandus rotæ infernali Ixion, rotam exitialem, & omnigenæ crudelitatis inſtrumentis horrendam, parari jubet;

bet;

bet; vt vel sic invictæ Heroidis, zelantem pro libertate Christiana invertere possit animum. Sed vindex immunitatis Christianæ CATHARINA Cælo petitas suppetias præstò habet. Exuritur fulmine crudelitatis instrumentum, vt intelligat Tyrannus, ipsum æthera pro libertatis VINDICE CATHARINA pugnare. *Illi nempe militat æther, & coniurati veniunt ad Classica venti.* Et certè sævior Harpyis & Hircanis tigridibus Imperator, consilij inops, nullum modum reperit, quo liberum CATHARINÆ animum devincat. convocatis Philosophantium catervis, frustra veritati oggannientibus, tenacem propositi CATHARINAM videns, ringitur animo totus, & sævâ Erynni correptus, ferrum vibrat acutum, vt decollata DIVINISSIMA HEROIS, collum servituti subijciat. Sed nihil profecit scelesti malignitas, feliciùs tunc libertas Christiana, in Assertrice sua CATHARINA triumphavit, cùm & ipsi, paulò ante illius oppugnatores, mox Assertores Sophi, magnificam triumphi auxerint Maiestatem. Quid multis? terrarum Carceres indocilis pati CATHARINA, limitibus, & cancellis arctari impotens, puriore sui parte Cælum petit, Augustum libertatis Asylum & Regnum: Corpore, quod liber, & ingens inhabitaverat anima, per Cælestes Genios in montem delato, monstravit Tyranno evidenter, potiùs terram suis è cardinibus moveri posse, quàm libertatem Christianam convelli & jugis servitij coarctari.

Invictissima HEROIS CATHARINA VIRGO, quis Te iam VINDICEM esse Christianæ Libertatis inficias iverit? cùm Crystallo purior, nullius vitij jugum subieris, impuritatis Lernam triumphaveris; Cùm sapientiam, veræ libertatis genitricem, ingenio humanas vires excedente coluveris, & quod rei cardo est, VINDICEM Te Ordines Cælestium, Terrestriumque Hierarchiarum triumphales Pæanes, meritò buccināt, quæ Soli Assertori generis humani Christo, animo jugata, integritatem Orthodoxam, vitâ & sangvine vindicaveris. Quare cùm iam pro libertate Christiana gloriosiùs quàm olim Curtij vel Horatij pro Vrbe Quirina, Codri pro Cecropijs Athenis Hecatomben Te Cælo obtuleris: cùm proculcatis Averni ausibus, & in Christianum Nomen coniuratis Ethnicorum furijs æternùm in Cælestibus Arcibus triumphū agas, adesto & nostris supplicibus votis: vt Serenissimus & Invictissimus Lechiadum Alcides, AVGVSTVS SECVNDVS, qui contra Tauricam Libertatis nostræ jura vindicaturus, victoriosum exerit animum, Gentilitijs Mucronibus, laureas metat triumphales. Vt Magni AVGVSTINI TRIARII, in Ecclesia militante, innumeris victorijs, ac triumphis celeberrimi, hîc sub Tuis auspicijs belligerantes, novis Charismatum Cælestium cumulentur stipendijs. Omnes denique qui contra Tyrannidem vitiorum, & serviles pravorum affectuum copias, in Sapientiæ Olympijs bella gerimus, vt Tuo interventu & præsidio victores effecti, in æternam asseramur LIBERTATEM

DIXI.

